



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1784**

**VD18 13322648**

§. 15. Hujus Synodi decreta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

Sæc. XVIII.  
A. C. 1727.

§. XV.

*Hujus Synodi decreta.*

Ut vero cunctis manifestum fieret, quam obedientiam ac submissionem erga Constitutiones Apostolicas præfertim circa Bullam *Unigenitus* Ecclesia Gallicana exigat, eadem Provincialis Synodus sequentia condidit decreta, & qui em in primo capite decrevit, ut Fidei Catholicæ Professio a Pio IV. præscripta publice emitteretur: in secundo autem capite hæc leguntur statuta. I. Constitutio *Unigenitus*, qua centum, & una Quesnellii Propositiones damnatæ sunt, cui suffragata est universalis Ecclesia, est dogmaticum, & definitivum, ac irretractabile Judicium illius Ecclesiæ, de qua divino ore dictum est: Portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Si quis igitur eidem Constitutioni corde, & animo non acquiescit, aut veram & sinceram obedientiam non præstat, inter eos habeatur, qui circa fidem naufragaverunt. Quodsi nonnulli crescente contumacia Hæreticorum vestigiis insistentes, a præfato dogmatico judicio, quo non laudabiles Patrum sententiæ, non innoxiales Catholicarum Scholarum opiniones,

„ut

ut calumniantur Novatores, sed im-  
 primis Baji & Jansenii errores jam  
 dudum damnati iterum damnantur,  
 ad futurum generale Concilium pro-  
 vocare præsumperint: hujusmodi  
 provocationem noverint esse ipso jure  
 irritam, scandalosam, schismaticam,  
 jam damnatis erroribus faventem,  
 Sedi Apostolicæ, & Ecclesiæ inju-  
 riosam. ,,

II. , Quoniam autem quidam eo-  
 rum, per quos oborta sunt memorata  
 scandala, præscriptæ ab Alexandro VII.  
 formulæ reluctantes, diversis cavil-  
 lationibus vim illius eludere conan-  
 tur, obtenduntque, Ecclesiam non  
 exigere, ut quisque, subscribendo  
 præfatæ formulæ Juramento profitea-  
 tur, sensum hæreticum in quinque  
 Propositionibus ab Innocentio X. dam-  
 natum contineri in Cornelii Jansenii  
 libro; ideo nos ejusdem Alexan-  
 dri VII. constitutioni inhærentes. præ-  
 fatam illam subscriptionis interpre-  
 tationem declaramus perniciosam, te-  
 merariam, Ecclesiæ, & ejus praxi in-  
 juriosam, schismaticam, necnon Hæ-  
 reticis & Hæresibus faventem, & ut  
 talem rejicimus, & damnamus. ,,

III. , Quod spectat ad inquietos illos  
 homines, qui non sine gravi Sedis  
 Apostolicæ injuria, maximoque totius  
 „Ec-

Sæc. XVIII.

A. C. 1727.

~~UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK PADERBORN~~

Sæc. XVIII. „Ecclesiæ scandalo docere non verentur,  
A. C. 1727. „ad obedientiam præfatis Apostolicis  
 „Constitutionibus debitam non requiri,  
 „ut quis prædicti Janseniani libri sen-  
 „sum in antedictis quinque Propositio-  
 „nibus damnatum, interius ut hære-  
 „ticum damnet, sed satis esse, si de  
 „ea re obsequiosum, ut vocant, silen-  
 „tium teneatur; Doctrinam illam de-  
 „clarat hæc S. Synodus ab omni Ca-  
 „tholico abhorrendam, fallacem, per-  
 „niciosam, & perjuriis faventem; hu-  
 „jus enim Doctrinæ pallio non depo-  
 „nitur error, sed absconditur, Ecclesiæ  
 „illuditur, non paretur, & lata filiis  
 „inobediendiæ via sternitur ad foven-  
 „dam silentio hæresim. Statuitque  
 „juxta Constitutionem Clementis XI.  
 „*Vineam Domini Sabaoth*. Obedientiæ,  
 „quæ memoratis Apostolicis Constitu-  
 „tionibus debetur, obsequioso illo si-  
 „lento minime satis fieri, sed damna-  
 „tum in quinque præfatis propositio-  
 „nibus Jansenii libri sensum, quem il-  
 „larum verba præferunt, ab omni-  
 „bus Christifidelibus, ut Hæreticum  
 „non ore solum, sed & Corde rejici,  
 „ac damnari debere, & qui fecus do-  
 „cuerint, vel quovis modo asseruerint,  
 „subjacere Censuris, & pœnis in supra  
 „dictis Constitutionibus contentis. „

IV. „Neminem ad SS. Ordines pro-  
 „moveant Episcopi; aut ad Confessio-  
 „nes audiendas, & munia Conciona-  
 „toris obeunda applicent, vel ad be-  
 „neficia possidenda admittant, nisi  
 „prius Constitutionum Innocentii X. &  
 „Alexandri VII. subscriptionem exege-  
 „rint, & de præstita Clementis XI.  
 „Constitutionibus: *Vineam Domini Sa-*  
 „*baoth, & Unigenitus Dei Filius,* sin-  
 „cera, ac demissa obedientia certiores  
 „facti fuerint. „

V. „Denique cum Novatores spar-  
 „sis ubique virulentis, & fallacibus  
 „libellis incautos homines, ipsosque  
 „etiam, si fieri posset, electos in er-  
 „rores suos inducere conentur, eaque  
 „prævaleat iniquitas temporum, ut  
 „libri improbi, qui graviori anathe-  
 „mate feriuntur, eo curiosius requi-  
 „rantur, & legantur avidius; ne ve-  
 „nenum latius serpat, & ut a noxiis  
 „pascuis Christi oves arceantur, prio-  
 „rum Conciliorum vestigiis inhærens  
 „declarat hæc S. Synodus, omnes,  
 „qui prohibitos libros, seu libellos &  
 „præsertim adversus præfatas Consti-  
 „tutiones Apostolicas recens vulgatos,  
 „tam scripto, quam typis editos, le-  
 „gere, describere, aut apud se reti-  
 „nere ausi fuerint, excommunicationis  
 „vinculo esse ipso facto innodatos, a  
 „qua

Sæc. XVIII.  
 A. C. 1727.

Sæc. XVIII. „qua nisi speciali licentia secluso mor-  
A. C. 1727. „tis articulo, absolvi nequeant. „

Præter hæc decreta Synodus plura  
alia statuit ad restaurandam Ecclesiæ  
disciplinam & ad dignam Sacramen-  
torum administrationem saluberrima,  
& quidem in Capite III. egit de Ar-  
chiepiscopis & Episcopis, quos horta-  
batur. I. „Ut meminerint, se ad for-  
„mam gregis esse constitutos, ac pro-  
„inde morum Sanctitate, & doctrinæ  
„integritate aliis præluceant. „

II. „In audiendo faciles, in respon-  
„dendo mites, patientes in sustinendo,  
„in concipiendo misericordes, & in con-  
„solando promptiores sese exhibeant.

III. „Invigilent domesticorum mo-  
„ribus, ne ex alienis vitiis turpem,  
„& quasi sibi propriam contrahant de-  
„decoris labem. „

IV. „Singulis Festis, & præsertim  
„diebus Dominicis, quantum in ipsis  
„erit, Divinis Officiis intersint. „

V. „Intelligent se ad laborem, &  
„Ecclesiæ suæ sollicitudinem esse vo-  
„catos. In civitate Pontificia residen-  
„tes ab aliis non omnino absint suæ  
„diœcesis oppidis: sed gregi universo  
„semper spiritu præsentis nement  
„negligant, & in omnes pastorem  
„curam æqualiter impendant. „

VI.

VI. „Suam singuli Diæcesin, quam Sæc. XVII.  
 „sæpissime poterunt, obire, & per A. C. 1727.  
 „lustrare non omittant: Sacramentum  
 „confirmationis conferant, & inter  
 „Confirmandos neminem nisi septem  
 „annis natum admittant. „

VII. „Nullum ad SS. Ordines ad-  
 „mittant, nisi per tempus sufficiens  
 „studio Theologiæ vacaverit, nec quem-  
 „quam veste clericali indui sinant abs-  
 „que licentiâ, ni per tonsuram sacræ  
 „militiæ fuerit adscriptus. „

VIII. Repulsis ab Episcopo proprio,  
 „aut ab ejus Vicario Generali. literas,  
 „quæ *Visa* nuncupantur, seu beneficii  
 „institutionem, nemo quavis de causa,  
 „aut quovis prætextu conferre præsu-  
 „mat, nisi juxta Ecclesiasticas sanctio-  
 „nes, & in Ordine hierarchico ad id  
 „constitutam auctoritatem habeat. „

IX. „Nullus a Sententiis, vel Cen-  
 „suris ab Archiepiscopo, vel Episcopo  
 „latis absolvere audeat, nisi qui eas  
 „tulerit, aut cui in Ordine hierarchico,  
 „& per Canones competit Superior  
 „auctoritas. „

X. „Graviter ægrotante Episcopo  
 „Vincinior accurrat Episcopus, qui  
 „Fratrem infirmum in Domino soletur,  
 „& adjuvet: erepto e vivis solemnio-  
 „res exequias curet exsolvi. „

Sæc. XVIII.  
A. C. 1727.

## CAPUT IV.

*De Canonicis.*

I. „Statutis, ac debitis horis affi-  
„due choro intersint Canonici omnes,  
„& Beneficarii: ibidem Officium Di-  
„vinum decenter ac devote persolvant.,

II. „Affuescant ad Orationes, &  
„Psalmos de mane surgere, nec ad  
„modicam retributionem attendentes,  
„ullam Officii partem deserant: sed  
„unanimiter perseverantes in Canticis  
„Horas Canonicales alternantibus cho-  
„ris attente, ac distincte recitent.,

III. „Sciant, se muneri suo deesse,  
„nec fructus facere suos, si suam alio-  
„rum vocibus, & Cantibus vocem non  
„immisceant, & neglecto choro, vel  
„canere omittant, vel tacite pronun-  
„tiant.,

IV. „Accurata punctatione noten-  
„tur absentes, ipsisque pro rata ab-  
„sentia legitima denegetur retributio.,

V. „Ab Ecclesia sua absque licen-  
„tia, & causa gravi & in Canonibus  
„contenta discedere non præsumant,  
„noverintque se ad residentiam perso-  
„nalem sub pœnis a S. Tridentina Sy-  
„nodo latis teneri.,

VI. „Nulla, quantum fieri poterit,  
„Missæ privata celebretur, dum Missa  
„solemnis aut horæ matutinæ decan-  
„tan.



„tantur, vel dum e suggestu concio  
„habetur ad populum. „

Sæc. XVIII.  
A. C. 1727.

VII. „Canonici Sacerdotes, & cæ-  
„teri de gremio Ecclesiæ Presbyteri,  
„quam sæpissime poterunt, Missam ce-  
„lebrent, eumque celebrandi ordinem  
„observent, qui in tabula assignabitur:  
„Clericos vero, & præsertim Subdia-  
„conos hortatur S. Synodus, ut intra  
„Missarum solemniam ad S. Synaxim  
„frequenter accedant. Præcipit vero,  
„ut saltem in majoribus Ecclesiæ so-  
„lemnitatibus hoc pietatis, & Reli-  
„gionis Officio fungantur sub pœna pri-  
„vationis distributionum illius diei. „

VIII. „Cum inter Canonicos, &  
„Beneficiarios cooptabitur aliquis, pro-  
„hibet S. Synodus, ne quid ab eo re-  
„cipiant, quod in pios usus non impen-  
„datur. „

IX. „Capitula generalia saltem bis  
„in anno convocentur, ibique de vita  
„& moribus unius cujusque prudens  
„inquisitio, ac fraterna correctio per-  
„amanter fiat. Capitula vero ordina-  
„ria semel in hebdomada certis horis,  
„& die pro more habeantur, & in iis  
„de reddituum perceptione, bonorum ad-  
„ministracione aliisque occurrentibus  
„negotiis accurate pertractetur. „

Sæc. XVIII.  
A. C. 1727.

## CAPUT V.

*De Parochis.*

I. „Omnibus, quibus animarum cura incumbit, præcipit S. Synodus, ut oves suas verbo doceant, Sacramentis reficiant, & exemplo informent.”

II. „Diebus saltem Dominicis Mysteria fidei, Evangelii præcepta, & sanctas morum Regulas populum edoceant; nec iisdem diebus instructionis formulam, & preces intra Missarum solemniam legi solitas unquam omittant. Iisdem diebus Dominicis, & quantum fieri poterit, bis saltem in unaquaque Quadragesimæ hebdomada pueros Christianæ Religionis elementis imbuant juxta Catechismum a Concilio provinciali, vel ab Ordinario approbatum.”

III. „Sacrum facere raro omittant; diebus vero Dominicis juxta Officii sui debitum pro Paræcianis Sacrificium offerant.”

IV. „A nimia cum Paræcianis suis familiaritate abstineant: negotiis sæcularibus non se temere immisceant: inter discordes & litigantes animos pacifici incedant, a Comestationibus, aleis, choreis, spectaculis, & ludis publicis sint prorsus alieni: modestos Capillos, & Coronam gestent in Ca-  
„pite,

„p̄te, veste talari in loco residentiae  
 „sint semper induti, nec ibidem sub  
 „p̄na suspensionis ipso facto tabernas  
 „comedendi, & potandi causa ingre-  
 „diantur. „

Sæc. XVIII.  
 A. C. 1727.

V. „Mulierum Colloquia ut pluri-  
 „mum periculosa, & consortia suspecta  
 „devitent, nec mulieres aliquas, præ-  
 „ter eas, quas Canones permittunt,  
 „apud se tenere audeant, sub p̄na  
 „suspensionis. Eorum ancillæ sint ad  
 „minus quinquagenariæ, & Viros,  
 „quantum fieri poterit, fæminis in fa-  
 „mulatu præferant. „

VI. „Caveant imprimis, ne quis  
 „eorum culpa, sive parvulus sine Ba-  
 „ptismo, sive adultus Sacramentorum  
 „auxilio destitutus e vivis excedat. „

VII. „Tria diligenter ab ipsis asser-  
 „ventur regeſta, videlicet baptizato-  
 „rum, nubentium, & mortuorum, ea-  
 „que, si ablata fuerint, quantocius re-  
 „petant. Si quis autem ea fraudulen-  
 „ter retineret, sciat se p̄nam excom-  
 „municationis incurrere. „

VIII. „Non ultra sex dies, idque  
 „rarissime, a Parochia sua abesse præ-  
 „sumant, nisi iusta de causa ab Epi-  
 „scopo approbata, & nisi suffecto in  
 „sui locum ex Episcopi licentia alio  
 „Sacerdote. „

Hh 3

IX.

Sæc. XVIII.

A. C. 1727.

IX. „Vetus, & novum Testamen-  
tum, Concilium Tridentinum, ejus-  
dem Concilii Catechismum, summam  
„S. Thomæ & Monita S. Caroli ad  
„Confessorios penes se habeant eosque  
„libros assiduo studio evolvant. „

X. „Singulo quoque mense, ex-  
„cepto hyberno tempore Viciniores  
„simul una conveniant Sacerdotes, de  
„iis, quæ ad Scripturam sacram, &  
„Theologiam moralem pertinent, di-  
„sceptaturi. In his vero Kalendarum  
„Comitiis, ut decet Ministros Christi  
„sapienter se gerant, ut quæ inter ipsos  
„agitata fuerint, ad Episcopum refe-  
„rant, ut, quod statuendum censuerit  
„ad ipsos remittat. „

XI. „Parochis simul, & secunda-  
„riis præcipit hæc S. Synodus, ut sal-  
„tem intra biennium per 8. dies exer-  
„citiis spiritualibus in domo ab Epi-  
„scopo designanda vacare studeant, ut  
„uni Deo intenti legem vitæ sicut Moy-  
„ses, & spiritum Zeli sicut Elias a Do-  
„mino accipiant. „

## CAPUT VI.

*De Celebratione Missæ.*

I. „Nullus ad Altare nisi cum veste  
„talari celebraturus accedat: si quis  
„autem secus fecerit, & cotta, seu  
„semi-

„semitalari vestimento pro tertia vice Sæc. XVIII.  
 „indutus celebraverit, hunc suspensio- A. C. 1727.  
 „nis poenam ipso facto incurrere de-  
 „claramus. „

II. „Nemo nisi prævia præparatione  
 „sacru peragere aggrediatur: in ipsa  
 „autem celebratione Sacrificii ita se  
 „componant Presbyteri omnes: ut vel  
 „ipsa oris species, corporis habitus,  
 „gravisque, & distincta verborum  
 „prolatio modestiam, & Sanctimoniam  
 „spirent: atque ut tam propriæ Sacer-  
 „dotum pietati, quam fidelium ædifi-  
 „cationi consultum sit, nullus ante  
 „peractam gratiarum actionem rece-  
 „dere audeat. In hunc finem præci-  
 „pit S. Synodus, ut in omnibus Sacra-  
 „riis duæ Tabulæ typis expressæ ex-  
 „ponantur, quarum una præparatio-  
 „nem Missæ, altera gratiarum actio-  
 „nem contineat. „

III. „Inter celebrandum rubricæ  
 „ad amissim serventur. Quæ secun-  
 „dum communem usum submissa voce,  
 „& secreto pronuntiari debent, alta  
 „voce non pronuntientur: nec alii om-  
 „nino ritus adhibeantur, præter eos,  
 „qui constanti Ecclesiæ more sunt re-  
 „cepti, vel Episcopali Auctoritate pro-  
 „bati, qui vero hujusmodi ritus de  
 „industria prætermiserit, aut novos,  
 „& ab usu hodierno alienos invexerit,

Hh 4

„hu-

Sæc. XVIII. „hujus S. Synodi Decreto a Divinis  
A. C. 1727. „sit ipso facto suspensus. „

IV. „Nullæ admittantur fundatio-  
„nes, nisi ab Episcopo recognitæ, &  
„approbatæ; semel admissæ religiose  
„adimpleantur: & si propter reddituum  
„tenuitatem adimpleri nequeant, a solo  
„Ordinario vel ejus auctoritate redu-  
„cantur. „

## CAPUT VII.

### *De Sacramentorum administratione.*

I. „Parochi frequenter Sacramen-  
„torum vim, maxime cum illa admi-  
„nistrant, explicare curent, & ad illa  
„pie, ac reverenter suscipienda fideles  
„adhortentur. „

II. „Caveant Sacerdotes, ne pec-  
„cati lethalis conscii Sacramenta ad-  
„ministrantes gravi se sacrilegii scelere  
„commaculent: neve in Sacramentis  
„administrandis aliquam avaritiæ su-  
„spicionem incurrant. „

III. „Dum Sacramenta ministran-  
„tur, adstantes Parochus admoneat, ne  
„inania misceant colloquia, sed ea,  
„qua decet, modestia, ac reverentia  
„sefe gerant. „

IV. „In Sacramentorum admini-  
„stratione solo Rituali Romano in tota  
„Provincia utantur. „

CA-

## CAPUT VIII.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1727.*De Baptismo.*

I. „Monendi sunt parentes, ut filios suos quantocius baptizari curent.,,

II. „Infans, qui in casu necessitatis domi fuerit baptizatus, statim ac convaluerit, ad Ecclesiam deferatur, ut Cæremoniæ S. Romanæ Ecclesiæ suppleantur.,,

III. „Nomen profanum, aut insuetum Parochus baptizandis non imponat, nec scandalosos, aut in fide suspectos, aut eos, qui muneri Paschali non satisfecerint, vel prima Doctrinæ Christianæ elementa ignorent, in Patrinos, vel Matrinæ admittat.,,

IV. „Clericis Sæcularibus, & quibuscumque Regularibus utriusque sexus prohibemus, ne infantes, nisi de licentia Episcopi, de Sacro Fonte suscipiant.,,

V. „Sub pœna excommunicationis præcipit S. Synodus, ut parvuli ad Ecclesiam baptizandi saltem intra tres dies ab ortu deferantur: quod si Parentum incuria illos sine Baptismo decedere contingat, excommunicationi ipso facto Parentes subjaceant.,,

Sæc. XVIII.  
A. C. 1727.

## CAPUT IX.

*De Confirmatione.*

I. „Sacramentum Confirmationis,  
„quod sine Sacrilegio iterari non potest,  
„nemo fidelium suscipere negligat.,

II. „De tempore, quo Sacramen-  
„tum illud administrandum erit, fide-  
„les Parochus admonebit, ipsosque,  
„quidquid ad illud digne suscipiendum  
„requiritur, diligenter docebit.,

III. Omnes confirmandi impositioni  
„manuum Episcopi intersint, nec ab  
„Ecclesia, nisi post illorum deterfam  
„frontem, & post Episcopi benedictio-  
„nem discedant.,

IV. „Nullus infans ante septen-  
„nium, nullus nisi rudimentis fidei  
„imbutus, confessus, ac si commode  
„fieri possit jejunos ad illud Sacra-  
„mentum admittatur.,

## CAPUT X.

*De Eucharistia.*

I. „Pastores animarum Sacramenti  
„Eucharistiæ excellentiam, & effectus  
„diligenter exponant, ut rei tam sanctæ  
„debitum cultum exhibeant, ut fide-  
„les, & ad illam ea, qua decet, fide,  
„pietate, ac reverentia frequenter ac-  
„cedant.,

II.



II. „Tabernaculum, ubi servatur S. Euchariſtiæ Sacramentum, ſit ex-  
 „terius, quoad fieri poterit, de auro  
 „tum, intus vero panno ſerico ornatum,  
 „& ſera clauſum. „

Sæc. XVIII,  
 A. C. 1727.

III. „In eo ſit corporale mundum,  
 „ſupra quo S. Pyxis Corpus Chriſti re-  
 „condens ſola reponatur, & intra il-  
 „lud nec aliud quodcumque vas, nec  
 „Reliquiæ aſſerventur. „

IV. „Renovatio Sacramenti in Py-  
 „xide fiat ad minus ſemel intra quin-  
 „decim dies. „

V. „Nemo ad primam Commu-  
 „nionem admittatur, niſi Corpus Domini  
 „dijudicare valeat, & ea, quæ ad  
 „tantum Sacramentum cum fructu ſu-  
 „ſcipiendum neceſſaria ſunt, didicerit. „

VI. „Canon *omnis utriusque* reno-  
 „vatur. „

VII. „Clericis in Sanctuario, Lai-  
 „cis vero extra Sanctuarium, ſine ulla  
 „Perſonarum acceptione ſacra Com-  
 „munio adminiſtretur. „

VIII. „Dum ad infirmos deferitur  
 „Viaticum, fideles ad Campanæ  
 „ſonitum convocentur, ut majori, quo  
 „poterit, Comitatu præſertim in Ur-  
 „bibus deferatur, ſemperque ſub Bal-  
 „dachino, & Luminaribus accenſis:  
 „atque ad eorum devotionem, & fre-  
 „quen-

Sæc. XVIII. „quentiam excitandam indulgentiæ eis  
A. C. 1727. „concessæ publicentur.

IX. „Ad promovendum tanti Sa-  
„cramenti Cultum Sodalitas Corporis  
„Christi instituat. „

X. „Processio S. Sacramenti publice  
„non fiat, nisi in festo Corporis Christi  
„vel diebus ab Episcopo ordinatis. „

XI. „Frequentiores S. Sacramenti  
„benedictiones in Ecclesiis tam Sæcu-  
„larium quam Regularium prohiben-  
„tur, nec ullæ introducantur in poste-  
„rum nisi de Episcoporum licentia:  
„semel autem, & iterum ad summum  
„in die in eadem Ecclesia ejusmodi  
„benedictiones dentur, & nunquam  
„post solis occasum. „

XII. „Parochis, & aliis Sacerdo-  
„tibus prohibetur Eucharistiæ Sacra-  
„mentum, deferre ad portam Ecclesiæ,  
„aut extra Ecclesiam pro sedandis tem-  
„pestatibus, aut incendiis restinguen-  
„dis, aliisque similibus causis sub pœna  
„suspensionis ipso facto incurrenda. In  
„supradictis tamen casibus liceat lu-  
„minaribus accensis Tabernaculi Ja-  
„nuam aperire ad solatium populi, &  
„consuetas preces in ritualibus conten-  
„tas ibi recitare. „

CAPUT

## CAPUT XI.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1727.*De Pœnitentia.*

I. „Instanter adhortandi sunt fideles, ut cum a statu gratiæ per aliquod lethale peccatum exciderint, ad secundam post naufragium Pœnitentiæ tabulam recurrant. „

II. „Moneantur quoque, ut dum ad Sacramentum Pœnitentiæ se disponunt, conscientiam diligentius excutiant, & illius sinus omnes, & latebras explorent, cujus quidem discussionis faciendæ modum sæpius edoceantur a Parocho. „

III. „Confessarii tum in pœnitentibus interrogandis, aut instruendis, tum in concedenda, aut differenda absolutione Regulas a Rituali Romano, & a S. Carolo traditas sequantur. „

IV. „Nulli Confessario liceat extra locum, pro quo approbatus fuit, sine licentia Episcopi confessiones audire, cum aliter ab ipso concessæ absolutiones irritæ, ac invalidæ sint. „

V. „Quoties Sacramentum hoc Sacerdotes sæculares administrant, superpelliceo, quantum fieri potest, sint induti: nec ipsis Confessiones mulierum sublato necessitatis casu, extra tribunal audire liceat. „

VI.

Sæc. XVIII. VI. „Medici, ne ad infirmum, nisi  
A. C. 1727. „confessum, tertio accedant sub poena  
 „interdicti ab ingressu Ecclesiæ. „

## CAPUT XII.

*De Extrema Unctione.*

I. „Parochis præcipit S. Synodus,  
 „ut cum infirmo sacrum præbuerint  
 „Viaticum, eundem dum adhuc in-  
 „tegris est sensibus, ad Extremæ Un-  
 „ctionis Sacramentum præparent, ipsum  
 „hortantes, ut omnibus abjectis hujus  
 „sæculi desiderii ad sola Cælestia aspi-  
 „ret. „

II. „Moneant sæpissime Parochia-  
 „nos suos animarum Pastores, ne dum  
 „periculose quis ægrotat, tardius dif-  
 „ferat hoc Sacramentum suscipere, &  
 „imperitum vulgus a falsissima opinio-  
 „ne retrahere conentur, qua per illam  
 „Unctionem mortem accelerari existi-  
 „mat. „

## CAPUT XIII.

*De Ordine.*

„Prohibet S. Synodus, ne Parochi  
 „testimonium de vita, & moribus con-  
 „cedant Clericis in eorum Parochia  
 „commorantibus, nisi vitæ exemplo  
 „cæteris præluxerint, per dies Do-  
 „minicos, & festos Divinis interfue-  
 „rint

„rint Officiis, & ad sacram mensam Sæc. XVIII.  
 „semel saltem singulis mensibus con- A. C. 1727.  
 „sueverint accedere: qua in re eosdem  
 „Parochos meminisse par est, eum  
 „gravissimi peccati rerum fieri, qui  
 „cum tanto Ecclesiæ damno Episco-  
 „pum decipit. „

## CAPUT XIV.

*De Matrimonio.*

I. „Synodus præcipit, & mandat  
 „omnibus Parochis, & Sacerdotibus  
 „sub pœna suspensionis ipso facto in-  
 „currenda, & Episcopis, aut eorum  
 „Vicariis generalibus reservata, ne  
 „Matrimonia celebrent partium alte-  
 „rius Parochiæ sine licentia Episcopi,  
 „aut Parochi illarum partium, cum  
 „Matrimonia ejusmodi ex Ecclesiæ le-  
 „gibus nulla, & irrita sint. „

II. „Iisdem etiam prohibet, ne ul-  
 „lum Matrimonium celebrent, nisi tri-  
 „na processerit Canonum proclamatio,  
 „aut si ab illa per Episcopum dispen-  
 „satum fuerit cum partibus: nondum  
 „elapso viginti quatuor horarum spatio  
 „Parochi non subministrent. „

III. Matrimonia non in privatis Ca-  
 „pellis, non post meridiem, aut extra  
 „celebrationem Missæ, non eodem die,  
 „quo ultima Bannorum proclamatio  
 „facta

Sæc. XVII. „facta est, celebrentur, Parochus abs-  
 A. C. 1727. „que licentia Episcopi contra faciens  
 „pœna suspensionis puniatur. „

IV. „Nemo ad Matrimonii Sacra-  
 „mentum admittendus, nisi rudimen-  
 „tis fidei fuerit imbutus, prius confes-  
 „sus sit, & muneri Paschali satis-  
 „fecerit. „

## CAPUT XV.

*De Indulgentiis.*

I. „Indulgentiæ perpetuæ, vel ad  
 „tempus non publicentur, etiam apud  
 „Regulares, nisi primum ab Episcopo,  
 „vel ab ejus Vicario generali visæ sint  
 „& subsignatæ. „

II. „Harum autem utilitatem, &  
 „virtutem explicent Parochi, doceant-  
 „que, quibus mediis, & operibus fru-  
 „ctum illarum fideles consequantur. „

## CAPUT XVI.

*De Reliquiis.*

I. „Sacris Sanctorum Reliquiis ma-  
 „ximum honorem perpetuo exhibuit  
 „Ecclesia. Ideo præcipimus eas in  
 „capsis decentibus religiose asservari  
 „nec eas populo deosculandas tradi,  
 „nisi per Sacerdotem stola, & super-  
 „pelliceo indutum. „

II. Stri-

II. „Strictissime prohibemus, ne  
 „ullas Parochi, nisi ab Episcopo ap- Sæc. XVIII.  
 „probatæ fuerint, populo venerandas A. C. 1727.  
 „proponant, aut in Processionibus de-  
 „ferant. „

III. „Caveant etiam, ne dum S. Sa-  
 „cramentum expositum erit publico  
 „fidelium cultui, venerationem tanto  
 „Sacramento debitam transferant ad  
 „Reliquias, si quæ in Altari tunc ex-  
 „positæ sint. „

## C A P U T XVII.

### *De Sepulturis.*

I. „Nulli in posterum in Ecclesiis  
 „sepeliantur, nisi de licentia Episcopi,  
 „aut nisi de jure id ipsis competat. „

II. „Cum jure communi ad Pa-  
 „rochos tantum pertineat fidelium de-  
 „functorum corpora e domo efferre, S.  
 „Synodus Regularibus quibuscumque  
 „prohibet, ne sine illorum licentia hoc  
 „munus sibi arrogent. „

III. „Sciunt autem Regulares, si  
 „quempiam ad eligendam Sepulturam  
 „in propriis Monasteriis inducant, se  
 „pœnas incurrere contentas in Consti-  
 „tutione Bonifacii VIII. quæ incipit:  
 „*animarum periculis.*

IV. „Cæmeteria muris, & januis  
 „obseratis debite claudantur, ne ad  
*Hist. Eccles. Tom. LXXII.*      li      illa

Sæc. XVIII. „illa jumentis cæterisque bestiis aditus  
A. C. 1727. „pateat, & in omnibus Crux erigatur.”

His decretis præter Archiepiscopum Embrodunensem alii quatuordecim Præsules unacum Diniensis Episcopi paulo antea defuncti Procuratore subscripti legebantur.

§. XVI.

*Embrodunensis Synodus a quibusdam  
Franciæ Episcopis impugnata.*

Dolebant summopere Quesnelliani, quod Embrodunensis Concilii sententia per L. Advocatorum Consultationem adeo non infirmata fuerit, ut potius inde haud levis infamia in ipsos redundarit, hinc in adinveniendis effugiis sæcundissimi ab Episcopali auctoritate subsidium opemque emendicare statuerunt. Nec eorum conatui secundus defuit successus; haud enim ignorabant, quod ex Episcopis nonnulli sese Constitutioni opposuerint, & ab ea appellarint, hos ergo utpote ad sui propositi executionem non modo idoneos, sed & admodum proclives sollicitabant Juncto igitur cum his consilio epistolam ad Franciæ Regem consarcinant, in eaque Embrodunensem Synodum atris omnino coloribus depingunt, ac demum ab Episcopis  
suæ